B. N. C.
FIRENZE
1173
19

5

Mf. n? 1083

— Mss. 1173. 19

CI

MARCI SANCTINII,

PARNASSVS

AD

ALEXANDRVM

GAMBALONGAM.

ARIMINI;

Typis Ioannis Symbenij. M. DC. XIX.

Superiorum Permissu.

Rosc. 1173.19

MARCI SANCTINI

PARNASSVS

A D

ALEXANDRVM

Rec. 1173. 19

ALEXANDRO GAMBALONGAE, MAECENATI SPLENDIDISSIMO,

Marcus Sanctinius.

Omplures admirari satis liquet, cur tot Viri manſuetiorum Muſarum ſtudioſi ſectatores in tui amorem exardeſcant, ò litterarum amantibus vnicum,& inſigne columen, certatimque elucubrationes calamiſtratis floſculis, & verborum gemmatis floribus baccatas, Panegyres elaboratas, poemata concinnata donent, dicent, Sacrent; qui, ſi Te Virtutum ſacrarium, e quo rationis, & prudentiæ lumen admirabile,multigeniæ ſapientiæ,& eruditionis laudabile exemplar eluceſcit, noſſent, admiratione ad notionem tantarum animi dotum ſecluſa,& ſepoſita,non vererer, vt his, qui ex Te ſcintillant radijs Virtutis ingenuę, comitatis, lenitatis, & ſuauitatis excitati Tibi vni obſequerentur & ipſi, ac animi tui magnificentiam, & granditatem encomijs extollendam mirificis aggrederentur. Veruntamen, quos non tui nominis, & famæ ſonitu excitos cenſendum eſt? Nonne iamdiu per omnium ora Alexandri Virtus inclyta,laudum cumulus prope infinitus, geſta, & facinora ſpectatiſſima,& honorificentiſſima circumferuntur? Hęc, non inficior, mi Mæcenas, meum præſidium, & decus, hæc me ad Heliconis fontes luculentiſſimos,& ad Parnaſſi montis verticem,in quo Te glorioſiſſimũ reſidere, Muſarum Corona pulcherrima, & vigilantiſſima circumſtipante ſum intuitus, adduxere. His inductus, & illectus non itineris difficillimi rupes ruinoſas,non ſaxa aſpera,non tramites rubis, & dumis horridos pertimui, aut exhorrui. Tu verò Parnaſſi ipſius ſpecioſiſſimi loca amœnitate, magnificentia, &

incolarum Maiestate suspicienda, quæ laboriosè numeris sum amplexus, & lusi difficulter, triumphosque amplissimos, diadema regium, gemmata sceptra, purpuratam clamydem margaritis fulgentissimis insignitam, quam Virtute duce promeritus es, ne respuas, aut despicias; meque in eorum numerum, qui tua encœmia inchoarunt (quis enim ea terminauit?) aggregare ne graueris. Quod si Tibi minimè improbata hæc fuerint officia, & animi mei studium, ac propensio, ornatiore facundia, & maiori carminis apparatu, cum Duce Musæi Apolline, Vatum lectissima Cohors virtutes alias, alias laudes, & egregias res gestas, quas ipse tanti Oceani profunditate obrutus obticui, oidiri gestit, & quotidie magis inflammatur.

VIN-

VINCENTII VELANII PLACENTINI, EQVITIS, POETAE LAVREATI,

In Marci Sanctinij Parnassum.

EPIGRAMMA.

SVnt tribuli, spinæ, rigida pendentia rupe
Saxa, rubi, referant qui graue Montis iter.
Sed patiens terit ista labor, cursumque ruina
Haud retrahit, trepido nec via plena motu.
Testis Sanctinus, Musarum blandus ocellus,
Qui petit intactas, Regna, Heliconis opes:
Nec pauet accessus; scrutatur vasta profundi
Montis, Castalio pocula Fonte bibens:
Hinc varios pandit Musarum carmine fastus,
Et loca cycnea regia voce canit.
O' felix Vates, felicia secula! Viuet,
Aeternum viuet, quem tua Musa canit.

ALTERVM.

INclyta Alexandri dum tollis nomina cantu,
Stemmataq; altisonis conspicienda modis,
Et canis auricomam Phœben, clarumq; Cometen,
Virtutumq; vagas carmine pangis opes;
Quantus Alexander! proh, quanta est Musa Poetæ!
Claret vterque vno, clarus vterque, sono:
Clarescetq;, Poli dum pascet sidera Phœbus,
Dum fluet vnda maris, dum vehet amnis aquas.

ALIVD.

FElix, qui potuit sacrati scandere Montis
Culmina, perpetuo Verubi flore nitet,
Et placidi perflant Zephyri, Boreaq; suaues,
Atque Euri dulcis spirat, & aura Noti,
Deliciaq; nouæ surgunt, noua gaudia, vita est
Non vllis vnquam sollicitata malis.
Hinc procul, hĩc sæuas torques, canis improbe flãmas
Non ignes ardens eiaculare, Leo.
Haud æstus, canos haud hic hirsuta capillos
Sauit hyemps, diro nec fera bruma gelu.
Quàm loca amœna tuis reserasti, Phœbe, Poetis!
His decus, his Vatem gloria quanta manent!

Ioseph Velanij Placentini in eundem Parnassum,

EPIGRAMMA,

EST via Parnaßi dumis tot consita, Calum
Quot flammis; quanta est mollis arena maris:
Tot rupes resecant aditus, tot saxa recludunt;
Et pene est nullo semita trita pede.
Quam labor immensus! Pauci, quos sacra cupido,
Arduaq; ad Montis gloria duxit iter.
At Te, Sanctini, possunt non mille viarum
Arcere è sacris dura pericla locis.
O' Vatum praclare decor, sic parta labore
Virtus, sic nomen crescet in orbe tuum.

ALTERVM.

PIeridum dum sacra canis secreta tuarum,
Et pellis cantu lucida Regna tuo;
Mirantur Musæ, Phœbus miratur, & haret,
Nec pulsat curua stamina tensa Lyra.
Grandia melliflua miratur flumina lingua,
Miratur lepidis carmina mista iocis:
Calliopenq; suam solio sic fatus ab alto
Dicitur; O Vati qui sedet ore lepos!
Pelignos, Flaccosq; aquat, certatq; Maroni.
I' Vatum nomen nobile conde Choro.

ALIVD.

O' quicunque viam Parnaßi ducis ad oras,
Verte iter, ò: Musæ non Helicona tenent.
Est via Parnaßi deserta, locusq́, nemusq́,
Lauriferum: Aonio non aqua fonte fluit.
Sunt Colles, Montesq́, tui, quos Sacra Corona
Incolit, & Fontes, Marida Lympha, tui.
Hic Turba Aonidum gelidis colludit in vndis,
Maonidumq́, agitat nexa Caterua Choros.
Verte iter, ò Vates; alibi haud Parnaßus habetur:
Hìc Musa, hic placidis regnat Apollo locis.

ALIVD.

DVm Mõtis nemora alta petis, camposq́, patẽtes,
Et nitidas lustrat Mens tua Collis opes;
Quæ Tibi, quæ tacitum pertentant gaudia pectus!
Quæ Tibi delicia, gloria quãta manet!
Luciflua graderis radiorũm impexe corona,
Et decorant sacrum laurea serta caput:
Syrmate conspicuus, stellata cyclade, cantu
Mille moues plausus, carmina mille cies
Nec breuis est plausus, nec carmen, vtrunq́, perenne,
Aeternas cantu dum tua secla nouo.

ALIV.

ALIVD,

Ad Alexandrum Gambalongam.

DVM caneris, nomen grandeſcit nobile cantu,
Et Fama, reboant qua tua geſta ſolo.
Ipſa Polum dimenſa, tuos celebrare triumphos
Nititur, & forti parta trophœa manu:
Et celebri cantu, & Famæ rumore tonanti
Diceris hinc nomen magnificare tuum.
Qualis, proh, cantus! Nomen, proh, quale! legendũ
Te æternum carmen, Famaq; iuncta canet.

ALIVD.

AVrea floriferi penetras dum culmina Collis,
Aer conſpicuo lucidus igne micat:
Plauſibus aſſurgunt Muſæ, & ſtellata laceſſunt
Sidera: magnificis plauſibus æthra tonat.
Hic lituos, citharasq; fidesq;, et barbita pulſant,
Atq; tubas inflant, ſollicitantq; lyras.
Omnia ſunt cantus, ſunt plauſus cuncta, iociq;
Hymnus Alexander, Pieridumq; ſonus.
Nec mirum; Quem Phœbus amat, ſic viuit, & alta
Regia Virtutis non monumenta cadunt.

IOSEPH EIVSDEM.

PANEGYRIS.

ALEXANDER GAMBALONGA

Ardescit pelagus mea verrere grande tuarum
Miriope laudum, Ponti non territa fluctu
Sflato; quacum feruentes mitigat vndas,
Santoq́, Drymoq́, Ligeaq́, Phyllodoceq́
Liisonans propter Fluuij venerabilis vndas:
Hunc vbi, Musarumq́ Chorus, Nymphæq́ sorores
Epromunt tua gesta nouis cantanda Camœnis,
Et Fama æternis victura Poemata seclis,
Coriferis quæ potet aquis, & dulce melodis
Grandiflui sitiens pascatur Nectare Vates.
Ardua dum studio miretur lecta fideli
Magni opera Herois, quæ summo vertice Montis
Buccina diffundit Famæ sufflantis, Amore
Recta nouo, cantuq́ graui, quæ vocis Imago
Latisoni studiosa soni, studiosa pererrat.
Vati decus æternum, Musisq́ voluptas,
Donne Tolum, Terrasq́ æquas, camposq́ liquentes,
Grandesciscq́ tuis, Cæli per compita sparso
Æternum, laudisq́ tuæ, sonitusq́ boatu?

lta cano; ſed vera fides, dum dulcia geſtis
ata tuis Mens carmina ſuaue ſonanti
loquio, leniq; ciet modulamina tractu,
enarchi haud imitata ſonos, quem comica Virtus
erias tentaſſe domos, Calumq; profundum
unciat, inſigni vectumq; per æthera penna:
iſſultans ſed geſta, vagis quæ Marida lymphis
xtulit, hæc verſu geſtit celebrare canoro;
oſcida Alexandri ſpirat dum dulcius aura,
ermina quæ reduci redeunt in luminis oras,
nxia ne rigidus flatu poſt faſcinet Eurus,
alaq; perpetuum iungant ne punica myrto
aſia odorifera, floresq;, et lilia giluis
ucta comis, violaq;, roſaq;, & pulcher Acanthus,
uteoliq; croci, & ſuaue rubens Hyacinthus.
'Flatus dulcis, flores qui flamine ducis;
oſter, opus, flos, ecce tuum: fœcunde Fauoni,
audia floriferæ Charitis, dulciſſime flatus,
ura beata, noui floret qua gloria cantus.

Ioannis Franciſci Vallonij In Marcum Sanctinium.

TETRASTICHON.

DVM loca Parnaſſi verſu depingis amæna,
MARCE, regit plectrum pulcher Apollo tuũ.
Hinc tua Pieridum miratur carmina cœtus,
Orpheus at reliquis crederis eſſe nouus.

Dell'iſteſſo.

CHI poggiar brama à gli orti
Di Parnaſo, e vedere i varij fiori,
Le freſche erbette, i verdeggianti allori,
Il vago fonte, ed il Caſtalio Coro,
Legga di te, SANTINI, i dolci carmi,
Oue dimoſtri à pieno
De le Muſe, e di Febo ogni teſoro.
E così il loco ameno
Pingi, e colori, che di veder parmi
Ne la tua lingua Apollo: ond'è che tanto
Alletta, e piace il tuo ſonoro canto.

MAL-

MARCI SANCTINII PARNASSVS AD ALEXANDRVM GAMBALONGAM.

Peridum quis ſancta canat mortalibus agris.
Arcana, aut Heliconis opes, quibus aureus auges,
Phœbe, tuos Vates: Vatum cui maxima cura,
Imperiumq; ſedet? Culto quis carmine veras
Delicias queat, & fauſti ſolatia Collis
Delicioſa loqui, & felicia gaudia feſtis
Muſarum conceſſa Choris, alacrisq; Coronæ
Immortale decus? Ceſſas vt veſtiat Arces
Ætas perpetuum vernans, nec fructibus vnquam
Maturis expers, nec odoris floribus ætas?
Vt tua colluſtret radijs latè omnia lampas,
Æternum clarens die, quæ nubibus atris
Obruitur nunquam, nec ſuccedente fugatur
Nocte nigra? Vt reſonet concinnis vocibus æther?
Quale melos Erato plectris, calamiſque canora

Euterpe, citharisq; Soror doctissima plausi
Terpsichore? Quàm lata Chorus modulamina pãgat
Musarum, certetq; nouis assurgere gestis?
Quis celebres memoret Turba florentis honores,
Dum vestris spectandus adest Dux inclytus oris?
Et quibus exceptus sacri penetralia Montis
Plausibus intrarit, mulcentibus aethera plectris,
Magnus Alexander? Quàm crebris ignibus Aer
Luxerit, & quales ipsa ostentarit odores
Purpureis Tellus adoperta coloribus? Vt fons
Castalius leni lapsus cum murmure spumis
Argentum, & fuluis aurum iactarit arenis?
Matus opus, quàm ferre potis nouus aduena, mãdas.
Hec sunt non firmis, Phœbe, hæc sunt munera nostris
Viribus aqua parum. Tractent Velania Proles
Ciuis vterque loci vetus. Hi clarissima Vatum
Lumina, queis dudum Regno dominarier alto,
Aureisq; Aonidum thalamis habitare, tuamq;
Sæpe vicem supplere datum. Tamen innuis? Vrges,
Pars quorũ non magna fui, me pandere? Pandam
Pro modulo ipse meo, si candida cœpto
Adsit Calliope audaci, reuocetq; canenti
Aspirans, qua mira suo patefecit Alumno.
Est Mons: verticibus celsis elatus vtrinque
Sidera summa petit, cui mollibus obdita cliuis
Pulchrum planicies ornat curuata Theatrum:

Diues opum variarum: exultam Phocida latè
Fertilibus locupletat agris: passimq; fluentes
Pandit Thesauros rerum: Caloq;, situq;
Nobilis; at Phœbo, & Musis, Vatumque Corona
Nobilior: tutas quibus alto in vertice sedes
Diuitibus gemmis, precioso q; induit auro;
Nomine Parnassus. Pernix vbi Pegasus altas
Vngue ferit cautes, fœcundumq; elicit vngue
Irrigui fontis laticem: qui dulcibus vndis
Dulce strepit, lapsus per saxa sonantia: dulcem
Qui stillans rorem per prata recentia, dulci
Viuificat succo flores, dulcemq; comanti
Sufficit humorem siluæ: quo dulcia dulci
Pectora temeto obruitur gratissima Diuis
Vatum sacra Cohors, dum nectare mutua dulci
Dulcia propinant angusta obliuia vitæ.
Aurea vis Amni. Cedunt Pactolus, & Hermi
Stagna, atq; Eridani Regis, Rhenusq; metallis
Ditibus, & Ganges, & Gemmis clarus Hydaspes.
Aurea saxa rotat, nitidas, auroq; rigentes
Illambit glebas, dites eructat arenas:
Et Scintillantes interstrepit vnda lapillos,
Dum lucos siluarum interfluit antiquarum:
Quos latè exornans opulenta interuiret arbos:
Aureaq; è croceo pubescunt poma metallo,
Assimili trunco, assimili circundata fronde.

Quaq; bibunt riuos passim felicibus aruis
Gramina nexilibus gemmis sparguntur, & auro.
Panditur hìc lacus, & stellanti margine cinctus
Diuitibus pallescit aquis: adducit in imum
Spectantes oculos: latè quà peruius humor
Excipit admissas alto sub gurgite luces,
Stratag; conspicui prodens gemmata profundi,
Coralio, & concha, & puro distinguitur auro.
Cuncta nitent auro, et baccis flammantibus ardent.
Hìc elementorum summa est concordia, summa
Temperies rerum. Litem Natura diremit,
Naturaq; Deus melior: nam mollia duris,
Frigida conueniunt calidis, humentia siccis.
Aurea Progenies, & nescia fallere vita est.
Hic neq; signare, aut partiri limite campos
Fas vnquam fuit. Hìc fœtam non vomere terram
Vertere cura hominum, aut fumãtes naribus ignem
Sollicitare iugo tauros, aut vitibus vlmos
Iungere, nec curua compescere falce fluentes
Arboribus ramos, nec lecta armenta, gregesuè
Cogere lanigeros, apibusuè aluearia parcis
Cortice suta cauo moliri in sedibus aptis.
Vbertate solum claret. Namq; omnia Tellus
Liberior fundit, nullo poscente: virescunt
Gramina sponte: hilari fruges cum germine surgunt,
Non est frumentis vllus labor. Improba culmos

Non eſt rubigo. Segnis non horret in aruis
Carduus. Exultant ſegetes. Non aſpera ſilua
Lappæ, nec tribuli ſubeunt: nec pinguia culta
Infelix Lolium, aut ſteriles populantur auenæ.
Non hìc degenerant, quæ priſci ſemina frugum
Delegere, licet nullo medicata labore,
Nec nitro, putri nec perfundantur amurca.
Hìc turgens pendet bicoloribus vua racemis:
Roſcida poma ſimul pendent, ſimul aurea pruna:
Cana ſimul pendent tenera lanugine mala.
Nunquam candidulis non vernat floribus Hortus:
Nunquam diuinis non ſpirat odoribus Hortus.
Herboſam ſparsìm per humum fragrantia latè
Fraga rubent, fluidum pictis cum floribus vnda
Paſcentis rapere humorem certantia. Duris
Quercubus exſudant paſſim puriſſima mella:
Cortice concretis manant genialia guttis
Balſama: flexilibusq́, halant ſtillantia virgis
Tura: nec apricis deſunt redolentia ſiluis
Cinnama: nec mitis Caſiæ, aut ridentis Acanthi
Vimina. Purpureis dureſcunt ſolibus illic
Stillatæ Heliadum lacrimæ: ſe Myrrha decoris
Exornat guttis. Per lucum dulcis Amomi
Succus olet: Coſti craſſus diffunditur humor.
Pandit Amaracini latum liquentis odorem,
Nec cedit pictorum Arabum felicibus oris

Pingue ſolum, cui magna parens rerũ imperat vna,
Æternas leges, æternaq; fœdera certo
Ordine conſtituens: Ayro quæ cuncta ferendi
Indidit Ingenium. Non obduxere minaces
Deucalionis aquæ Terras: nec gloria Colli
Priſtina ſublata eſt: neue immutabilis vnquam
Vertuntur Cæli mores. Caligine nunquam
Limpidus obſtruitur, nebulisue humentibus Aer.
Arcturum, pluuiasue Hyadas, vel Oriona Tellus
Vda pauet nunquam, nunquam deſiderat: Arctos,
Et varias Luna facies tutiſſima temnit.
Veſanire Leo, torquere Canicula flammas
Hùc neſcit: nec Bruma roſas innoxia ledit:
Firma nec iratum metuunt virgulta Bootem.
Pallida nox orbem non opprimit: Æthera nunquã
Nigrantes tenebræ rapiunt: Hic candida ſemper
Alma dies claret, neque ſera crepuſcula nouit:
Hìc nequeunt pauidas terrere tonitrua mentes
Rauca: nec ignauis concreſcunt nubibus imbres:
Æternoq; patent Cæli conuexa ſereno:
Nec læta æterni mutantur tempora Veris.
Non ceſſam quatiunt incluſis flatibus Arcem,
Qui mare, qui terras, qui cælum turbine certant
Eruere: hic placido ſuſpirant flamine venti:
Miraq; diſcordes iungit concordia fratres.
Non hìc arctatur rigidis Aquilonibus humor:

Leibi-

Lethiferis calidi nec ſpirant aſtibus Auſtri:
Ambo fauent ſiluis, auratis floribus ambo:
Ambo placent Muſis, Muſarum Ciuibus ambo;
Quaq; fouet Zephyrus clemens, non faſcinat Eurus.
Vndique conſurgunt Zephyri. Vis ipſa potentiũ
Solis, & occultas vires, & pabula conflat
Pinguia, tellurisq; vias, & cœca relaxat
Spiramenta, nouas quà prodit ſuctus in herbas.
Roſcida mobilibus lambentes gramina riuis
Fœcundant Lympha valles, atque arua maritant.
Quàq; volant Zephyri mites, quàq; aurea pandit
Titanis facies radios (nec inanibus vmbris
Impediunt ſilua), quà purus deſilit humor,
Hac vernus color: hàc in flores omnis olentes
Turget humas, dulci & violas ferrugine ſpargit,
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia pullo
Obducens: decorat niueo candore liguſtra,
Liliaq;: at rutilantem purpureo Narciſſum:
Et te flexilibus, mœrens Hyacinthe, figuris
Diſtinguit: fuluo tenuis genialia pingit
Fila croci: grauidum ſucco, et virtute potenti
Ditat olus, miris locupletans viribus hortos
Paonis. Inde ſuo ſubuenit Phœbus Iapi
Sollicito quondã, purũ cum polluit amnem, diuerſa à Virgilio ſententia, Aen. 12. 411.
Quo latus inualidũ terſit, fouitq; cruentum
Magni Anchiſiadæ vulnus, iaculũq; coegit.

Indo

Frutex indicus folio, flore, fructu suauissimo ac saluberrimo, cuius toto stipite tormẽta, q̃ seruator nr̃ Xps perpessus est, mirò clauduntur ordine.

Inde coloratis caulem prodegerat Indis
Pubere liuentem folia, floremq; salubri
Ambrosia sparsum, xũmo qui culmine flagra,
Fuste refert marmor, spinis redimicula, tortos
Capreolis funes, mucronem cuspide sauum,
Vulnera quina globis, trinaq; propagine clauos.
Hic sertis redimitur hyems: redimitur & estas:
Autumnus redimitur. Amœnos iuge colores
Ver alit, & variis circũdat floribus Annum.
Non tantis melli blanditur odoribus Hybla.
Non tali Assyrijs fucatur lana colore:
Non tales ostentat auis Iunonia pennas.
Non tales Iris pandit curuata figuras.
Thessala sacrato Colli, ac Teumessia Tempe
Posthabeas par est. Huic Sicilis ũuidet Aetna.
Cedunt Hesperidum pomis melioribus Horti.
Quanto Virgineus poterat tua pignora Collis,
Alma Ceres, seruare fidelius? Inclyta Virgo
Hic quanto poterat credi securius? Alta
Visere Templa Tibi licuisset tutius Idae:
Nec tanti Natam piguisset carceris. Illic
Carpsisset rutilos nulla formidine flores:
Frænasset teneris crines secura corollis:
Nec vano implesset studio, calathosq;, sinumq;.
Non hùc sulphureus nigra ferrugine turpes
Contorsisset equos vasti Regnator Auerni:

Et Sacras victor non erupisset in Arces.
Hìc Cytherea dolos; hìc prapes tela Cupido
Exercere nequit. Diro, quem fortè timebas,
Ianua nulla patet Marti: nec Sancta paraßet
Furtis inceßare ßuis nemora. Inde profanus
Numina pelluntur. Nec erat, quod Apollinis ignes
Anxia pauisses. Nullis hìc ignibus arßit;
Nec, niß ß Montem incautus, loca tuta, reliquit,
Spicula contorßit rigido Puer Ales ab arcu.
Virgineas quoque Mæonidum non impetus vllus
Perterret mentes, niß cum Parnaßia Templa
Deßeruere vagæ. Exierant è mœnibus altis
Tunc quoque, cum ßallax Phocæo rure Tyrannus
Struxerat inßidias intra ßua tecta Pyreneus;
Qui ßulto tamen exßoluit conamine pœnas.
Cœtibus hanc comitem præstabat iungere ßacris:
Inßigni radijs quando in connubia Phœbo,
Quippè dolenda minus, renuißi. Hìc plena liquentis
Flumina lacte tument. Generoßa hìc vina ferentes
Vndique decurrunt ßuuij. Non Nectaris vndæ
Manantis deßunt rigæ, loca ßacra beantes.
Indigenas ßuneßa lues non polluit, acres
Nec morbi: non luctus edax, non ßœda ßenectus
Afficit. Hinc procul egra ßames, hinc turpis egeßas,
Hinc dolor: Hoc tristes arcentur limine curæ.
Non Furiæ fera bella cient. Dißordia demens

Non agitat Ciues: Tranquilla in pectora flammas
Non iacit ira ferox. Non hìc metus accubat anceps.
Non hìc compositi tetro suffusa veneno
Concilij humanis præcordia sentibus opplet
Inuidia. Alterius gratatur honoribus alter:
Fortuna alterius potiore nec vritur alter.
Hic operosa quies. Non hìc solertia vincit
Membra labor, non torpor iners. Præstant sua quisq;
Munia peruigiles. Iuuat exantlare labores
Quemque suos. Rarò lenis sopor occupat artus:
Nec tamen interea vigiles per somnia vanis
Ludit imaginibus mentes, nec tristibus vmbris.
Interiecta Virus non oblectamina desunt
Grata. Agiles nullo exercent sudore palæstras:
Exercent, teretesq; pilas, cursusq; citatos.
At tamen Oebalij vetuit certamina disci,
Tristia Tænaridæ post fata, intonsus Apollo.
Hìc teneros lusi cantus, variosq; ciere
Ore modos soliti Ciues. Hìc carmina suaui
Vndique concentu resonant. Hìc dulce queruntur
Cornua rauca tubas inter, lituosq; lyrasq;:
Vocales calami, & cithara modulamina fundunt:
Mille foraminibus prædulcem buxea cantum
Tibia prosequitur. Sambuca triangula neruis
Disparibus populos hilares demulcet. Eburna
Molle ciet testudo melos: aurata sonorum

Cymbala tinnitum: lenem caua buccina bombum.
Murmure sistra leui, sonitu psalteria claro,
Blanda Chelys mulcet tremulis fe'sta Tempe
Staminibus; liquidumq; fides, & barbita pellunt
Aethera, quem pleno quatiunt reboantia latè
Organa mugitu. Palma flectuntur vtraque
Nablia: fragrantes Zephyros perfundit acuta
Fistula. Perpetuum concors d scordia vocum
Ictibus ætherias pulsat genialibus auras.
Quicquid villosus rugit Leo, quicquid odoris
Dispersus maculis Pardus felit, aspera quicquid
Conatur raucare Tigris, maculosa quod orcas
Lynx, quod versicolor caurit Panthera, quod vncat
Vrsus deformis, quicquid dentatus in agris
Frendet Aper, quod & ipse Lupus querulo vlulatu
Intentat, quicquid sinuosus sibilat Anguis;
Conuenit harmonicis concentibus. Hic animantum
Nulla sauitiem discunt, mansuescere docta:
Has inter passim pecudes, armentaq; passim
Vnanimi fontes potant, & gramina carpunt
Errore: et lepus, & dama, ceruiq; fugaces
Agminibus tutis ludunt, siluasq; peragrant.
Addunt & volucres modulamina consona. Candes,
Nec moriturus Olor blandas ad sidera voces
Spargit, & innocuæ repetit solatia vitæ.
Hic lata Alcyones teneris prope littus amœnum

Carmen arundinibus fundunt. Campestris Alauda
Fœcundas segetes festiuis cantibus implet.
Hìc gratos mouet insignis pietate volucris,
Elinguis licet, accentus: raucaq; Palumbes
Hic sua concordi recinunt dictata canore.
Hic vigiles Palamedis aues clangore queruntur
Dulciſono; argutos cantus attemperat, auro
Cui miſtus gemmis dependet nidus, Hirundo.
Hìc Meropes grati resonant, aſſutaq; Cinclus.
Caſta Columba ſonans ventoſo murmure guttur
Inflat: & in ſicco Fulica ſua carmina ludunt,
Non hyemis ſæua, tempeſtatiſue maligna
Authores olim: puramq; madentibus alis
Mergi hilares æthram feriunt, & voce ſerenant
Omina prædulci. Tranquillat & omina cantu
Ardea ſublimis. Conatur Scylla virentis
Chloritæ genitrix carmen modularier aptum.
Perdicum pictus liquidas moderamine voces
Grex, corde hìc etiam duplici, deducere tentant.
Hamoniam reſouent Merulæ, ſcythicaq; volucres
Aurita: vagus, & paſſer, cui ducitur ævum
Longius. Orditur cantus, centumq; ſuperbas
Regia luminibus pennas rotat Ales. Ionis
Hìc volucris non obmuteſcit, libera. Turtur
Iucundo oblectat gemitu. Non læua ſonanti
Miſta Choro clamat Cornix. At ſtridula nuſquam

Linx ſonat, indocta et Corydus. Non improba noctis
Ales, nec ſtygius Bubo ferale gemiſcens:
Nec ſtriges infeſta fatalia damna canentes.
Non hìc obſtreperis Anſer clangoribus auras,
Nec rauco tundunt tinnitu arbuſta Cicadæ.
Vna tamen, miris quam Phœbus honoribus effert,
Quam Nympha, Vateſq; fouẽt, cui maxima plaudũt
Alituum glomerata acies, modò blanda canora
Inter fila Lyræ inſidit, modò ſidera ſumma
Luſtrat aues inter; raras crepitantibus alis,
Et membranarum pulſu ciet inclyta voces.
Fauerat Eumonio Vati, ſonitumq; reciſo
Stamine compoſitis ſupplerat vocibus vltrò.
Has inter moderata ſuos Regina canores
Intonat, & lato exaequans diſcrimine vocem,
Imperioſa ſedet. Non eſt, quod curet anhelam,
Pondus iners luci, & plumis, reparare ſenectam;
Fontibus abluta irriguis in ſecla perennat.
Sic Ales tuus aeternat ſe, Phœbe: potentes
Contingens vndas: nec erit, quod inanis olentes
Gloria Niſiadas tangat. Non abdit acutae,
Quadrupedum qui ſceptra gerit, voci alitis aures
Criſtatae, Caelo quem non pudet eſſe minoris.
Innumerae innumeris volucres ſermonibus audent
Mentiri humanas voces, et carmina Vatum
Diuerſa edocta promunt. Hìc Pſittacus alto

Carmine torquatis reboans. Hic Cæsaris acer
Sturnus vtroque sonans sermone. Hic aduena priscæ
Turdus Agrippinæ. Doctos Aegyptia texit
Alterias, & Pica, suraxq; Monedula versus.
Phœbeos Chlorio sæpe ingeniosa salutat,
Quos imitata refert Vates. Nec Cissa minores
Exequitur numeris laudes: Quin ipse laborat
Mæonijs noua verba modis effingere Coruus:
Nec vorat interea accentus, vocemue reforbet.
Iucundo argutat blandas modulamine voces
Picus amans, quem non fallit custodia mentis.
Exprimit argutos Ales, cui vertice splendet
Purpura, conatus, diuersa idiomata callens.
Felices paruam mirantur Aedona silua,
Quam varias melicis iuuat integrare loquelas
(antibus, & celebres iuuat euigilare labores,
(Fallere nocturnas quamuis hic nesciat horas)
Questuq; exculto iuuat exquisita referre
Cantica, diuersis iuuat exercere liquentes
Delicijs auras, iuuat immutare querelas,
Nobileq;, & purum exiguis contexere carmen
Faucibus, arrectas dum versu informat Alumnas.
Et vocum docet attonitas discrimina mille.
Indefessa Choros moderantur Turba, sorores
Pimplæa, atque agiles hilari cum gente choreas
Colludunt, dum lata citis animantia restim

Saltibus exercent. Plausus monet vndiq; totos,
Cunctaq; complexus residet formosus Apollo.
O' sedes Cælo dignas! O' missa perenni
Gaudia delicio! ò dulcem sine labe quietem,
Cui non immiscet tristes Rhamnusia casus!
O' non cedentem, nisi Dijs, sine crimine Vitam!
Nec lethalis hyems insignia pectora soluit
Vitales auras, & respiramina claudens.
Sideris in numerum viui excipiuntur, & alto
Succedunt Cælo Indigetes. Hinc semita, puro,
Stellatum penetrat, candore notabilis, axem,
(Lactea cui nomen) perq; astra micantia Mundi
Ad Superum sedes, ad magni tecta Tonantis
Pandit iter, pictoq; aurata Palatia tractu,
Augustasq; domos, totumq; recludit Olympum.
Nulla tamen recto referat via tramite celsi
Collis inaccessas sedes. Saxa vndique pendent:
Vndique cliuosæ rupes, cautesq; supinæ;
Vndique dumosi saltus, loca deuia, cingunt.
Rara Cohors, quos ardor agit, quos gloria dulcis,
Difficiles tentant aditus: dumeta peragrant
Cæca, metus inter. Pradura pericula quidam
Exhorrent, animisq; cadunt, medioq; viarum
Limite deficiunt. Alios discrimina rerum
Aspera non terrent, desudatiuè labores;
Dumq; animis durant, patiens terit omnia Virtus.

Denique defessos, longisq; erroribus actos
Musa solet miserata manu, teneriscq; fouere
Blanditijs, socioscq; in mœnia tuta vocare.
Me quoque sic nuper: Pauci, quos Phœbus amauit
Carius, & potiore libens dignatus honore est,
Alite Gorgoneo, & Zephyri pernicibus alis
Sublimes adeunt claro loca sacra triumpho:
Sic Te, Mæcenas, multò dedit ante fugacem
Subdere equum, feraq; auratis premere ora lupatis,
Et roseis manibus preciosas flectere habenas,
Insigniq; alacrem pompa penetralibus altis
Exceptum placuit sceptro decorasse perenni:
Te Pallas prædocta, grauis cui cura residit
Vrbis Ariminea; stellato condere Olympo,
(Antiquis postquam clarissima cessit Athenis
Gloria, & illustris splendor defloruit olim)
Anxia, Te puerum gremio amplexata, suaui
Officio legum studijs addixit, & omnes
Virtutum, laudisq; vias monstrauit, & acri
Gloriola allectum facili per compita cursu
Duxit, & augustos morum præluſit honores.
Quaq; sacrosanctis firmarunt legibus olim
Iustus Iura Solon, Lacedemoniusq; Lycurgus,
Quaq; Patrum veneranda cohors sanxere latinis,
Indidit æternùm. Lectæ mox blanda loquelæ
Pondera stillauit Diuùm Internuncius Ales,

Dulcio

Dulcis Thesaurum linguæ partitus, &
Allectare feras, & surda impellere sax
Et siluas animare rudes, & sistere ven
Flamina, & ambrosiæ vocis dulcedine fi
Ad vitam reuocare animos, & cursibi
Edocuit cohibere vagos, et vocis honore
Solertem sibi præferri latatus Alumnum,
Gestibat toto diffundere nomen Olympo.
Dum verò Ausonios fines peregrinaq; longè
Littora, turritasq; Vrbes, atq; Oppida circun
Armorumq; auidos Belgas, Gallosq; feroces,
Insignesq; domos atque alta palatia Regum,
Atriaq; auratis centum subnixa columnis,
Ignitasq; acies, pictis aulæa figuris
Visere Amor: dum certa sedet sententia menti,
Limina Sancta Deum, sacri loca plena timoris,
Et præluceti penetralia splendida cultu
Lustrare, atq; aris procumbere, dinaq; votis
Iungere supplicibus, longumq; hærere beatis
Ossibus, ore, genu: cupidam sibi conscia flammam
Dum nutrit, mitiq; vias sub pectore versat
Mens pia: dum luctus commotam protinus Vrbem,
Et Ciues dolor altus habet; nam splendor, & alti
Solendoris decedit honos, redituraq; Solis
Lumina desperant, patrijs qui fulgeat oris,
Incerta & metuunt discrimina mille Salutis,

ſiles laqueos, & barbara ſæua
e inſidias gentis; duo Numina Diuos
Tibi iuuat adiunxiſſe, nocentum
a, dolos, funeſta arcere pericla,
ne via releuare labores,
ſacri deducere Regis ad ora,
loquia Heroas recreare potentes.
quid memorem miracula mille viarum,
edis? Vt tumidas blando ſedaueris vndas
uoris alloquio, et fluctus, ſyrteſq; voraces?
identis ſubitò plumas vt preſſeris Auſtri,
im pauidi infidum remis impellere marmor
ncertis Nautæ reniuunt: dum ſoluere plantis
Clarus Atlantiades teneris nectenda lacertis,
Haud liquidis compacta, parat talaria, ceris,
Et Pallas librare leuem ſuper æquora Nubem?
Quid referam tetras imò de gurgite phocas
Certatim, & turpes delphinas, & horrida cete
Compleſſe agminibus latè exultantia denſis
Littora, & immanes vltrò venientibus armos
Exhibuiſſe? Chelym docti quid Arionis auream
Poſthabitam tibi conuentus voluiſſe natantem?
Quid teneras miro Oceanitidas ordine Muſis
Immiſtas ſtruxiſſe Choros? Quid imagine certa
Proteæ conſpectum? Placidi quid Nereos ora?
Quid referam volucres rapidis Acheloidas alis

Aduc-

Aduectas, Siculi latus obsidione Pelori
Soluisse, & pestem oblitas, Choreisq; dicatas
In plausum vertisse Lyras? Quid flumina mille,
Fluminibusq; ortas circumueniisse loquentis
Aspectum tenero Nymphas dulcore citatas?
Quid fontes, Arethusa, tuos? Hic ipse quietas
Caeruleis emensus equis maris Arbiter vndas,
Conspicuum pietate Virum complexus, anheli
Currus sede locat suprema, atque inter amica
Numina sublimem reuehit maria omnia circum.
Candidus hinc entum circumfluit aquore toto
Nereidum Chorus, et Glauci genus omne biformis,
Et monstra Oceani, & semiferi Tritones.
Pura triumphanti circumfert mella Calydne,
Marmora picta Tasos maculis: nat Apolline multo
Insignis facunda Claros: numerosa Sorores
Stipatum spatiata simul manus ordine vallant.
Aulsa cinxere Choros Symplegades alto.
Et circum argento clari Delphines in orbem
Verrebant pelagus caudis, fluctusq; secabant;
Marmora purpurei donec spumosa debiscunt
AEquoris, appulsu sauum venerata Tridentem,
Ceserat vnda: latus nutu solidarat vtrunque
Rex ipse in muri faciem: secreta profundi
Tradiderat: volucresq; rotas per operta volutans,
Heroem thalamis inuexerat Amphitrites.

Miratur ſedes vitreas, perq́ humida tecta
Pumice pendentes conchas, pictosq́ lapillos:
Stagnaq́ miratur ſpecubus concluſa: ſonantes
Miratur ſiluas. Scatebris refluentia cæcis
Scrutatur capita in fontes: quà Marida primum,
Quàq́ Arnus fluuiũ, atq́ Hebrus, Phaſisq́, Caycusq;
Et ſeptemgemini, fons vnicus oſtia Nili
Compleat: vndè putri collata potentia limo:
Vnde Tagus, Gangesq́ Padusq́, et diues Iberus
Arcanas mercentur opes, auriq́ metalla.
Leuibus inde ſenex Natas, nitidiſq́ lapillis
Implere Oceanus lento de vimine textos
Mandat Alexandro calathos, quem ditibus augens
Muneribus celebrat fœta telluris, & Oſtri
Regifico ſplendore fouens, palmasquè, ſinumquè
Accumulat. Diſperſa putes examina pratis
Cecropium populare thymum, floreſquè decoros,
Sedula cum lectis acies immurmurat herbis.
Vndique delapſæ, perq; humida Regna fluentes,
Circumfuſa cohors, certatim ardentia pictas
Decerpunt imitantes ſidera margaritas:
Et Thetis, & Melite, Panopæaque, Phillodoceq;,
Choq;, & Beroe ſoror, atque opis, Amphitoeque,
Niſeq;, Spioq;, Ligeaq;, Cymodoceq;,
Flauaq; Laodice, Galateaq; candida, Xanthoq;
Euronimeq;, Atteq;: auido feruore legendi

Æſtu-

Æstuat ante alias pulcherrima Neptunine.
Denique multiplici gemmarum flore nitentem,
Viuidulis comptum, variisq; coloribus, & do
Carcere Neptunus superas in luminis auras
Restituit: fluctus quà frangit rauca tumentes
Adria: quà vitreis violentus Arminius vndis
Mitigat insuaues rigua dulcedine Lymphas.
Vt Patria fines, vt dulcia contigit arua
Sospes Alexander, donis cumulatus opimis,
Incipit exculto vocum moderamine Diuis,
Vbereq; alloquio dignas persoluere grates,
Dulcia commemorans seruata dona salutis.
Florentis linguæ fluuit intemerata, potensq;
Copia, Romaniq; Sales, Graïjq; lepores.
Qualis Amalthæo surgens Opulentia cornu
Fundit opes Arabum pingues, pendentis amomi,
Et casiæ flores, pancheaq; cinnama largo
Munere, & æternum frondentia vimina cosli,
Balsamaq; & varium pomis cerealibus orbi
Integrat Autumnum, & grauidis de vite racemis;
Talis inexhausto facundia flumine prodit,
Cuncta beans dictis, & turbida pectora mulcet.
Extemplo assurgunt Populi, vulgoq; fluentes
Agglomerant cuneos, reducemq; in littore stipant.
Non tales vidit Mauortia Roma paratus,
Scipiadas complexa feros, cum Punica Regna,

Et Tyrios fregere Duces, & Agenoris Vrbem,
Nec tales, tumido cum Rhenus diues Iulo,
Et Rhodanus præceps, vel aprici cornua Nili,
Vel vaga seruirent Euxini littora Ponti.
Hùc rigida cautes, hùc marmora dura feruntur:
Hùc virides siluæ, dulciq; animata trahuntur
Robora blanditiæ: præruptaq; saxa superbas
Extruxere domos: En Pons, en concaua Fornix,
En veterũ monumenta Ducũ renouãtur, & arces.
En centum parijs insurgunt sulta columnis
Sponte sua noua templa: nouis en mœnibus aucta
Clarior incedit priscis Vrbs inclyta Thebis,
Quas minor Actæis Amphion struxit in oris.
Hic motum siluæ ingentis mirata, ferasq;
Nexilibus laqueis, canibusue, arcuue petendas
Inde extorqueri, violentaq; pondera cornu,
Vimq; auidam subitò leuibus cessisse molossis,
Delia, terribilis clangentia murmura cornu
Comprimit attonita, & festiuo accita boatu
Accedit: celeresq; gradus nullo ordine longa
Prosequitur Dryadum series, et retia linquunt.
Læta hùc Seriadas comitantur Oreades actas:
Naiades accurrunt vdæ, facilesq; Napææ:
Marida quas fouet, amplexuq; tuetur amico,
Et curui Apruſæ, & clari Rubiconis Alumnas,
Stagnantes cunctata sinus, vbi lapſa liquentum

Deflexis feruent fluuiorum Numina lymphis,
Cruſtumiusq; rapax, & Iſauro iunctus Iſapis.
Terrigenum ſeſe immiſcent vndantia magnis
Agmina Numinibus, ſtructis ſine lege maniplis.
Dumq; ſilent auidis ſorbentes auribus alto
Dulce reſultantum cultu modulamina vocum,
Et decus irrigui fontis, quem copia fandi
Largifluo locuples immittit pectoris alueo,
Auſteroſq; è fronte iocos, riſusq; ſeueros,
Et rigidos facili miſtos grauitate lepores,
Mirantur melicis parentum vocibus vltrò
Ventorum faciem immotam, pelagiq; iacentis.
Mirantur poſita immanes feritate Leones:
Inſontes mirantur Apros: mirantur, & vrſos
Comminus exutos rabiem, & ſine fulmine Pardos
Lambere conſpicui Iuuenis veſtigia pronos:
Pandas miſceri hos inter mirantur & Orcas:
Mirantur celſis Hydros, rictuq; trilingui
Arboribus volucres inter pendere Colubros.
Ecce Viro interea longum manſura per æuum
Præmia molitur, potioraq; Cynthius: Ecce
Prodigia, & verſos iam contemplatus ab alto
Naturæ mores, atque arma potentia linguæ,
Aſſuit, (attonitæ vix agnouere Sorores,
Vix Frater) fouitq; ſinu, mille oſcula libans.
Hinc rutilo ſplendore genas, radijſq; ſerenam

Inda-

Induit auratis faciem. Dein anxia feruet
Turba ministrantum, iußis quas Delius urget,
Obsequijs intenta Viri, cui sedula pompam
Suppeditat. Tyrium circundedit artubus ostrum
Euphosyne, & rutila collegit Iaspide: gemmis
Altera contextam, & lauro Germana corollam
Crinibus imposuit radiantibus: altera dextram
Fulgenti instruxit baculo. Longaua monile
Baccatum collo appendens Amphrysia Vates
Arrisit blando applausu: teretesq; tocosa
Terpsichore electro suras incluſit, & auro.
Palladia inuitas suppreßit ab Aegide luces
(Sub picturata sopitos tegmine palla,
Excierat tremulis viridis hinnitibus angues)
Pegasus: inde humeros laues, & mollia terga
Subdit: Alexandrum tenues sublatus in auras
Euehit, ac loris paret. Genus Altitonantis
Nube sedent Diui: at, numero quos legerat omni
Spectatos Virtute Viros, vestigia seruant
Principis ingenui. Auratos agit ille lupatos,
Iam cunctis superexcellens, atque altior vnus,
Aeraq;, & Zephyros volucres, & nubila findens
Ingreditur. Fusi stabant per mœnia Ciues,
Et summa insignes statuebant laude triumphos.
Ac veluti aerij mellis cœlestia dona
Qui recolunt alacres populi, studioq; laborant

Mirifico, vt certum Regem, paruosq; Quirites
Suffecere, aulasq; humiles, & cerea Regna
Fixere, ac patriam, & proprios legere Penates;
Ipse per instructas acies, insignibus alis,
Et rutilis clarus squammis, atque ore nitenti
Augustos animos angusto in corpore versat:
Hunc illę obseruant, hunc admirantur, & omnes
Solenni obsequio resouent, celebrantq; volentes,
Et circum trepidæ coeunt: nunc agmine multo
Miscentur, resonumq; ipsa ad prætoria bombum
Ingeminant, laudes Regi, pompamq; frequentes
Conslipant fremitu celebri, nunc æthere in alto
Concurrunt densæ, atque humeris attollere certant.
Non aliter, (si magna licet componere paruis)
Vt primum ingeniosa Cohors solennibus auctum
Plausibus excepere Ducem in sublimia Tempe,
Qui latè regalem oculis spargebat honorem
Sidereis, clara iam Maiestate verendus,
Omnia iam Phœbo similis, vocemq; habitumq;
Et crines rutilos, roseumq; in fronte decorem,
Exercent miro distinctas ordine curas:
Quàq; nitent maculis stellantia compita puris,
Quà flammas iacit aureolas genus omne colorum
Multiplici gemma, quà texit pallida comptis
Laurus honora comis aulæa, & mollibus auget
Floribus, & blandis illustrat picta metallis,

Quà lacte, & puro liquuntur nectare riui,
Quàq́ arabis Zephyrus perfundit odoribus atbram,
Hàc medium pleno conſtipant agmine Regem:
Et lituis citharas, calamis pſalteria miſcent,
Nablia ſambucis, crepitantibus organa ſiſtris:
Attonitiq́ inhiant animis. Nunc viuida condit
Carmina vocalis Populus: nunc pendet ab ore,
Aure bibens prona molliſsima dicta loquentis:
Ille Deum donis, & tanto latus honore,
Bacchantes latè Muſas, Sanctumq́ Senatum
Miratur, facilesq́ oculos fert omnia circum:
Et grates referens dignas, præconia laudum
Excipit, atque audit proprij monumenta decoris.
Auguſtum canitur criniti ſideris omen,
Inſignesq́ Viri dotes, & lumine lumen
Non accerſito ſplendens: Virtutibus aſtra
Subdita. Commemorant operoſis verſibus illi
Felices Lunæ acceſſus, nulliq́ labori
Noxia iàm certo apparentia cornua vultu.
Hi mediæ faciem Zonæ, nec inhoſpita Regna
Virtuti celebrant, & inuſtos pectoris ignes.
Aeternos alij curſus, grauiumq́ labores
Egregios recinunt operum, generoſaq́ geſta,
Erroresq́ pios, euicta pericula rerum
Herculeis maiora. Ardet percurrere vaſtum
Ante alios pelagus laudum, non territus æſtu.

Ipſe

Ipſe, mea vires, mea maxima cura, Ioſippus:
(Quo Calis quondam tollere, Placentia, Ciue
Nobilis, & te Vrbi audebis componere Mantus,
Ni properè educant Terras auida Atra peroſum)
Alta laboratis repetit præconia rhythmis,
Nomen Alexandri ingeminans, famamq; ſonantem
Nunciat, & numeros Muſis, et docta miniſtrans
Carmina, præſultat feſtas celebrare Choreas.
Dumq; ea reſponſant valles, & florea circum
Prata, & concinnis reſonant commota Theatra
Plauſibus, exſtinguunt indicta ſilentia voces:
Pelius inſurgens faſtus concentibus auget.
Ornatum gemmis, atq; indis dentibus aurum
Leua manus geſtat teſtudinis, altera tenſum
Barbiton, & docto tentatas pollice chordas
Impellit, ſonituq; leues attemperat auras,
Ambroſio tales inflectens gutture voces.
Maxime Mæcenas; quo nec ſapientior alter,
Nec pietate prior, nec munificentior Orbi
Contigit, Aonia debent cui plurima Muſa,
Plurima Muſarum Ductor, ſolatia gentis
Ingenuæ; gremio noſtros amplexus Alumnos
Præſtantes Virtute foues, præſtantior ipſe:
Gloria, ſpesq; Italùm, Latia Lux inclyta Terra:
Noſter honos, noſtri ſpecies, & gaudia Collis.
O Vatum ſecura quies, & certa voluptas:

Musarum insignis splendor, decus, incrementum:
Delicia Charitum dulces: Amor omnibus unus;
In te unum conuersi oculi: tibi dedita circum
Corda inhiant uni: tèq; unum harentia circum
Ora petunt intenta Virum, stupefactaq; pendent.
Exerce Imperium Regni, sceptroq; potire,
Quòd tibi partitur Phœbus, populosq; serena
Compositos in pace rege, augustumq; Senatum.
Stat Tibi Sacra Domus, diuesq; perenne virentis
Regia Parnassi: tua sunt Heliconia Tempe.
Florentis celebrem Turbæ ne despice pompam,
Et laudes, plausumq; alacrem, vocesq; canentum;
Iam radios expande tuos, & clara tuarum
Lumina Virtutum. Da Vatibus alta nouorum
Argumenta operum. Victura Poemata condant,
Et gemmata tuum tollant ad sidera Nomen
Carmine diuino; Donec poscaris Olympo,
(Quem non tota capit Terrarum amplissima moles)
Et quondam superi conscendas Mœnia (ali,
Ad sedes, auroq; Domos potiore nitentes:
Cum iussa æternis meritum decus inferet Astris,
Teq; super matura Polos vehet inclyta Virtus.

FINIS.

IOSEPH VELANII, AD EVNDEM ALEXANDRVM GAMBALONGAM, CHORVS MVSARVM NOVENVS, EPIGRAMMATA.

LVdite, Pierides, Festas agitate Choreas,
Ludite, Apollinea dum tonat athra lyra.
Ludite, saxòsa resonsat garrula rupe
Echo, Phœbei Vox studiosa soni.
Ludite, saxa nouo saliunt allecta canore,
Atque alacri plaudunt irrequieta Choro.
Omnia Titanos plectro sunt visa moueri,
Vitaliq; tremit Terra animata Chely.
Hac Tigris, Pardiq; leues, rabidiq; Leones
Mansuescunt, diro nec fremit ore Lupus.
Nam, plectro mistus vester si pulset Olympum
Cantus, in Aonias Marida vertit aquas.

VRANIE.

LOnginquos motus quid perscrutamur, & Astra,
Vranie? Celum, quod prope lucet, adest:
In quo Celorum, Species, fulgentia signa,
Crinitum sidus, lucida Luna nitet.
Hinc, quid portendat sidus, quid Delia pandat,
Terra, vides; Celi semita ridet, Io.
Ridet, Io; clemens sidus nec damna, sed orbi
Aurea secla refert, Cynthia lata dies.

CLIO.

Parnaſſi decor, ò dulces Heliconis Amores,
Peruia cui Montis ſemita ſemper erit.
Quis tua geſta canet? Quis digno tollet hiatu
Carmen, vt Orbe voles, qui loca ſacra colis?
Felix, ſacrati, felix, nouus incola Montis;
Hæc Ego, quæ Vates non canit acta, paro.
Scilicet, acta canam; tranſactis tempora reddam;
Nam tua non Vati geſta adeunda puto.

MELPOMENE.

LVx mea, floriferi luces quæ culmine Montis,
Ducis & æternos quæ ſine labe dies:
Ecce tuas reſonat laudes, perq; ampla volutat
Atria dulciuagos vox imitata ſonos.
Nec mirum, ſi geſta tuus non Orbis Alumnus
Tractet, et ingenti ſeria voce fluant.
Nam, tua Muſæo nouit qui geſta cothurno
Edita, ait, totus non ſatis orbis erat.

THALIA.

NOn tua laſciuo recinit præconia cantu,
Voce Thalia noua: nec tua geſta nouat.
Sed queritur ſoccis non tollere poſſe, boatu,
Quæ ſua Melpomene concinuiſſe valet.
Hinc voces queribunda iacit, quas corde repoſtas
Eructat ditis copia Amoris, Amor.
Comica, quæ laudes non promit voce, Thalia,
Has cum Melpomene perpetuare poteſt.

EVTERPE.

QVæ Phœbi ſtudioſa ſui te ſuſpicit, Heros,
Euterpe, ſacro gloria iuncta Choro,
Dulciloquis calamos vrgendo flatibus athram
Temperat, & varios ducit ab ore modos.
Et Tibi, Alexander, genialibus addite Muſis,
Exilis ſoluit muneris officium.
Quod fortaſſe nouos miratus Montis honores,
Fila vagæ, referes, æquat amica Lyræ.

TERPSICHORE

ET tua Terpſicore tacet hoc excita canore,
Aurea quæ citharæ pectine fila premit?
En, laudes dum Turba, ſonos dum promere certat,
Affectus citharis mens mouet acta meis:
Imperat, atque auget ſonitus, quos concauarupes
Reddit, mirificos docta referre ſonos;
Et referet, dum Phœbus eris, dum callida neruis
Terpſichore citharas pellet honora ſuas.

ERATO.

NOn tibi plectra gement digito percuſſa ſonanti,
Nec verſus Erato proferet alma ſuos?
Nec planta luſtrare breui, ductare Choreas
Nec poterit, Phœbi quam trahit altus Amor?
Et tibi plectra gemunt, ſonitus imitata canentum,
Et carmen cantus pandit in ora tuos.
Dum Phœbi tibi cedit honos, tibi nomen & vni,
Cui virtus celſi fert Heliconis opes.

CALLIOPE.

Carmina Calliope ſeclis memoranda futuris
Ecce lego in cœtu, Pieridumq; Choro.
Semper honos, nomenq; tuum, cantusq; manebunt,
Inclyte Alexander, lux noua, Montis honor.
Nam tantum tua facta mihi ſunt grandia cura,
Vt rear Æmilia Te decus Hiſtoria.
Nobile opus, quod terra legat, miretur & vnum
Parnaſſi, atque orbis pradicet eſſe Patrem.

POLYHYMNIA.

INter tot plauſus, inter tot carmina, cantus,
Quos modo Muſarum prodidit alma Cohors,
Quid dignum Te, noſter Amor, Polyhymnia voce,
Et geſtu referet, lux mea, lucis Amor?
Qui reſeras monumenta Deum, qui vaſta ſerenas
Æquora, qui Cæli nubila voce fugas.
O Felix, nimium felix; Tibi militat Orbis,
Parnaſſiq; Chorus, quod ſedet ore melos.

FINIS.